

vobis, annuntiet, anathema sit. Hæc apertissimè do- Primum of-
cent, officium Doctorum in Ecclesia Christi esse, *ficiūm Do-*
docere purum Dei verbum. *ctorum.*

Hanc doctrinam confirmant exempla cùm Patriarcharum & Prophetarum, tum Christi Seruatoris nostri, & Apostolorum. Quid illi in Ecclesia Dei docuerunt? verbum Dei solum, præterea nihil, quatenus scilicet ad salutem necessarium videbatur. Adamus docuit filios suos, quæ ipse edocetis fuerat à Deo optimo, & suo conditore. Seth, Enos, & reliqui deinceps, usq; ad diluvium, idem verbum Dei, quod ab Adamo audierant, docuerunt filios suos; & filii nepotes, & pronepotes. A diluvio usq; ad Mosen, Noë, Sem, Abrahā, Isaac, & alii Patriarchē, quid docuerūt filios suos? verbum Dei idem, quod ipsi didicerant à maioribus suis. Gen. 8. Dominus de Abrahamo ipso testatur hoc, dicens: *Num celabo Abrahamū, quæ ego facturus sum, cùm Abrahamus omnino futurus sit in Gentem magnam?* Deinde addit Dominus: *Hoc quoque scio, quod mandaturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, faciantque iustitiam.* Moses verò non tantum nihil docuit in Ecclesia Dei sibi concredata, quām purum Dei verbum: sed ipsum etiam literis mandauit, ut illud semper in Ecclesia extaret, vnde posteri omnes, quæ sit Dei voluntas, facile agnoscerent. Nec verò aliud Prophetæ docuerunt populos, quām verbum Dei, quod vellegerant in libris Mosis, vel audierant ab ipso Domino Deo. Hinc voces illæ: *Factum est verbum Dei ad me. Hæc dicit Dominus.* Luc. 1. *Factum est verbum Domini ad Iohannem Zacharie filium, in deserto.*